



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. A Regali memoria &c. Bulla Regi rogatoria, quod ejus ministerio,
Carolus Princeps Salernitanus, plenariæ libertati restituatur: anno 1288.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1288.

contentis, omnia quæ superius sunt expressa, & quod juramenta, & omnia pacta, in præsentis scripti annotatione contenta, renovabit infra triduum postquam fuerit cum Rege Anglorum illustri, quod, si non faceret, sit infamis & perjurus, & nunquam honore Regio potiarur, vel Regio nomine nominetur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Id: Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

III.
Ex Arch.
Ang. Rimer.
Tom. 2. pag.
365.

Bulla Regi rogatoria, quod, ejus ministerio, Carolus Princeps Salernitanus, plenariæ libertati restituatur: anno 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Regali memoria non credimus excidisse, quod felicis recordationis, Honorio Papæ prædecessori nostro varia pacta & conditiones, dudum tractato ut dicebatur, & inita super liberatione dilecti filii, nobilis viri, Caroli primogeniti, claræ memoriæ, Caroli Regis Sicilia, præsentata fuerunt.

Quibus idem Prædecessor recensitis plenius & inspectis, & comperto denique quod illa in derogationem grandem Honoris Ecclesiæ Romanæ, ac ejus & ipsius primogeniti, hereditumque suorum grave præjudicium multum opprobrium & læsionem multiplicem redundabant, pacta & conditiones prædicta, de fratrum suorum Consilio, reprobavit expresse.

Cumque postmodum, per ejusdem Prædecessoris obitum, Apostolica sede vacante, quædam ex præmissis pactis, & conditionibus, ac nonnulla alia collegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præsentata & oblata fuissent, prædictum Collegium, deliberatione super ipsis inter se habita diligenti, ea ut pote memorata Ecclesiæ ac primogeniti, & hereditumque ejus prædictorum, honori contraria, nullatenus admittere voluerunt, nosque demum, ad apicem summi Apostolatus, divina dispositione assumpti eadem pacta & conditiones, quæ dicto Collegio præsentata fuerunt super liberatione præfati primogeniti, nostris auribus intimata, non duximus, ex justis causis, quas tibi scripsisse recolimus admittenda.

Veruntamen, quia ipsius Caroli detentio nobis admodum est molesta ejusque affectio graviter nos perturbat, nec mirum, cum ipsum, ut pote ipsius Ecclesiæ peculiarem filium, inter privata dilectionis contineamus amplexus ejusque libertatem, quantum cum Deo possumus, ferventer quæramus, & liberationem ferventius affectamus.

Celsitudinem Regiam attente rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatinus, cum pro tractanda liberatione dicti primogeniti varios sumptus sustinueris, ut intelleximus, & labores a prosecutione hujusmodi negotii non desistas, sed per honestos modos & licitos & etiam honori Ecclesiæ congruos, ut effectum consequatur optatum, interponas sollicitè ac efficaciter partes tuas: ita quod, tuo ministerio, idem primogenitus faciente qui potest, restitui valeat plenariæ libertati.

Datum Reat. septimo Calendis Junii, Pontificatus nostri Anno primo.

De Translatione Abbatie de Aberconwey, & de validitate Bullarum à Pontifice nondum benedicto, & consecrato consecratum, ac electi nomen nullatenus exprimentium Anno 1289.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii de Aberconwey in Vuallia, Cestertiensis Ordinis, Bangarensis Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri Edwardi Regis Angliæ illustris, fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis, Honorius Papa, Prædecessor noster, ante consecrationem, & benedictionem suam, intellecto, quod Monasterium vestrum ob certas causas rationabiles in loco, ubi tunc erat non poterat commode remanere, Præfatus Prædecessor nondum benedictus, & consecratus ad devotam ipsius Regis supplicationis instantiam, transferendi præfatum monasterium de præmissis loco ad locum, in quo nunc situm esse dignoscitur, per litteras suas bullatas bulla sua, quæ nomen suum nondum exprimebat, vobis concessit liberam facultatem: sicque vos litterarum ipsarum auctoritate, sicut asseritis, de priori loco præfatum monasterium transfulistis. Licet igitur quoad hujusmodi actum seu gratiam, eadem litteræ, sic bullate plenam, immo plenissimam in se habeant potestatem, maxime cum sedes Apostolica, ante consecrationem & benedictionem Electi in summum Pontificem, cum defectiva bulla, Electi nomen nullatenus exprimente, bullare litteras suas consueverit ab antiquo.

Ut tamen de mentibus rudium error omnis totaliter evellatur, vestris & ipsius Regis devotis supplicationibus inclinati, quod per easdem litteras super hoc factum est ratum & firmum habentes id, prout tenemur auctoritate Apostolica approbamus & præsentis scripti patrocinio communimus; nihilominus declarantes seu decernentes hujusmodi translationem dicti monasterii, eandem vim eundemque vigorem habere, ac si per litteras dicti Prædecessoris, integra bulla bullatas alias tamen legitime facta esset.

Nulli ergo &c. Datum Reate 12. Calendis Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

Edicit quomodo decima Angliæ Regi concessa colligi debeat, & à quibus, & per quas personas: Anno 1290.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nuper tibi, per alias nostras litteras, decimam Ecclesiasticorum Proventuum Regnorum Angliæ & Scotiæ, ac Terrarum Hiberniæ, & Walliæ sub certis formis & modis, duximus concedendam.

Tecum tamen præcipue, non in tenebris sed in luce ambulare volentes nolumus te latere, quod nostra intentionis existit, ut Collectores, seu superintendentes ejusdem decimæ colligendæ deputandi, à nobis declarationes

ANNO
1289.

IV.
Ex Arch.
Angl. Rimer.
Tom. 2. pag.
427.

V.
Ex Arch.
Rimer Tom. 2.
pag. 475.

obser-